

bris Turribus rubea nūcupata, sita est Septentrionem inter & Ortum ac in Bohemiam, Poloniā, Moraviā, transeuntibus inservit. Stu-  
bensis ad Ortum posita Hungaros venientes ex-  
cipit, & vicissim in vastum Hungariæ Regnum  
euntibus commoditatē omnem exhibit. Ulti-  
ma tandem cui à Carinthiæ Provincia Carin-  
thiaca nomen impositum, ac meridiem versus  
edificata est, quidquid ex Styria, Carinthia,  
Carniola, Italia, &c. Viennam devehitur suo  
transitu recipit: Cæterū ne qua vi, aut fraude  
per aliquam harum hosti aditus pateat, so-  
lertibus vigiliis, quæ in horas singulas militibus  
aliis, ac aliis tam diebus quam noctibus sibi  
succendentibus renovantur, vigilantibus circum  
per mœnia custodibus, statutis claudendi, ape-  
riendique pro temporis diversitate temporibus,  
providâ Centurionum, aliorūque, quibus in-  
cubit officialium curâ, & tandem paternâ il-  
lius sine quo vigilatur frustra, Numinis videli-  
et sollicitudine, & providentiâ superabundè  
prohibetur; quem tamen in finem, quod ad  
hunc titulum referendum judicavi, amplissima  
ipsa in Urbe, præter copiosa militum recepta-  
cula 3. sunt erecta armamentaria, quorum vel  
unum Cæstareum ad 30000. Cataphracturâ fer-

reâ armare, plures multò sclopis, hastis, ensi-  
bus, bipennibus aliisque militari apparatu, tam  
contra hostiles insultus, quam apertis in certa-  
minibus potest munire ita, ut formidandum ho-  
stibus exercitum ex hoc uno velut ex equo Tro-  
jano possit educere, qui innumeris tam mino-  
rum scloporum, quam tormentorum Mortario-  
rum, aliarūque ænearum fistularum impetat  
inimicas vires viribus, cladibus labefactet. Al-  
terum itidem Cæstareum Arsenale dictum na-  
ves varias continet, quibus si opus foret per  
Canalem ex Danubio ad mœnia introductum  
erumpere milites, hostesque tam terrâ, quam  
aqua aggredi valerent. Tertium armamenta-  
rium Civitatis proprium, & ob id civicum ap-  
pellatum non procul à domo Professa, præter  
magnam tormentorum, & mortariorum co-  
piam innumeram aliorum armorum habet mul-  
titudinem, quæ multa millia hostibus objicere  
potest intuitu solo formidandorum, ut vel ita  
prodigii loco habenda sit Civitas afforis tam be-  
nemunita, intus armis, & bellico apparatu,  
qualem justus etiam & ad 100. vel plura millia  
excurrent non expletat exercitus, tam abundan-  
ter provisa.

## TITULUS III.

### *Interna Urbis constitutio Templorum ædificia, & quid in iis videndum.*

**T**anta fuit apud Etrnicos, & Barbaros  
æquè ac Christianæ fidei Cultores in  
Deum Superösque pietas, ut nullam fe-  
rè gentem reperias, quæ non Deos suos, & quæ  
à majoribus nostris accepit Numina angustis  
templorum structuris duxerit esse celebranda,  
hinc tot per Orbem Universum splendidæ, ac  
à sola magnificentia sua, & sumptibus notæ po-  
steritati moles, quas immensis propè thesauris  
Sesostris in Ægypto, Semiramis Babylone, Del-  
phis Agamedes, & Trophonius, Romulus, Nu-  
ma, Ancus Martius, Tarquinus, & alii Roma  
Amazones, ut volunt Solinus, & Mela, vel ut  
Pausanias, Græsus Ephesiæ, aliisque aliis in locis  
extruxerant: hinc nostro adhuc ævo tot stu-  
penda mundo spectacula, quot à summis Pon-  
tificibus, Coronatis verricibus, fidei Catholicæ  
firmis præsidiis, veri Dei gloriaque divinæ Ze-  
lotis profusa liberalitate prostant monumenta.  
Taceo antiqua tempora, prætero Felices, Pa-  
schales, Hilarios, Symachos, Bonifacios, aliós-  
que Ecclesiæ Pastores, sileo Constantinos, He-  
raclios, Justinianos, Basilios, Clodovæos, Da-  
gobertos, nota à pietate posteris nomina, lon-  
gisque è regionibus petita: Austriacæ Domus  
Viennensem per Urbem Deo, Divisæque erecta  
odæ loquuntur Religionem, eamque vel mu-  
to sermone sufficienter deprædicant, actinnien-  
tibus campanis ad ultimam usque Thulen unà

cum sono Urbis nostræ provehunt gloriam, &  
Majestatem. Et ut templis illis quibus ob juris-  
dictionem, quam habent, primas deferre oportet,  
partes præcipuas concedamus, 4. nume-  
rantur Parochiales per Urbem Ecclesiæ: S. Ste-  
phani Cathedralis, ad gradus B. V. ad S. Mi-  
chaëlem, & ad Scotenses: in his pastoralia exer-  
centur munia, & tam vivis, quam mortuis ex  
proprio cuiusvis jure, & munere subvenitur.

Prima dignitate omnium reliquorum est  
Cathedralis S. Stephani Ecclesia, quæ ut refert  
Lazius anno 1140. in honorem omnium SS. ab  
Henrico primo Austriae Duce S. Leopoldi Filio  
exstructa, parvum prius, & angustum extra Ci-  
vitatis mœnia tempellum erat, quod Rudolphus IV. anno 1360. postquam jam 20. annis  
prius, anno videlicet 1340. à Remberto Passa-  
viensium Episcopo Dominica in albis, quo die  
etiam quot annis templi illius celebratur—  
dedicatio, in honorem S. Proto-Martyris Ste-  
phani solemnni ritu est consecratum, in Cathe-  
dralem evexit Ecclesiam, arcibus, forniciis,  
lemniscis, ac turris fundamento positio magis  
exornavit, Præposito, & 24. Canonicis, quibus  
sufficientes pro decore proventus addidit, illu-  
strius, & splendidius reddidit, ac effecit, quam  
turrim deinde pro pietate sua Albertus III. &  
tandem Albertus IV. ædili Antonio Pilgraben  
anno 1400. absolvit, & amplitudine, elegantiâ,  
for-

fortitudine, altitudine ad eam redegit Majestatem, ut inter primaria monumenta recensi, & ut cum Lazio loquar Orbis miraculis adnumerari mereatur. Templum hoc mole sua augustum est, ac omnia reliqua Urbis aedificia supercendit, lapidibus quadris forinsecus aedificatum, coctis lateribus, coloris diversi, qui sole splendente ita lucem retundunt, ut oculos etiam à longè intuentium fulgore suo perstringant totaliter tectum: Altaria numerat 33. Organa 5. in latitudine pedes ordinarios complectitur 76. in longitudine 120. memorabilia, quorum quæpiam suo dicentut loco multa continet. Turres habet binas 34. Orgyis à se invicem distantes, quarum altera 460, & diuidium pedem, uti ex dimensione Nicolai Rosytko, qui eam concendit, & stellam cum luna ex eadem deposita, habetur, alta est, moles certò tanta, quæ & aspectu jucunda, & magnificientiâ suâ excellens est. Altera adhuc imperfecta ac ab Alberto V. anno 1412. inchoata, suam ad perfectionem ob artificis, qui eam incepere, mortem præmaturam, ac sui Magistri astu, ut ferunt, positis quibusdam, quasi muscipulis, procuratam, deduci non potuit, quamvis ad annum usque 1507. sèpius id fuerit attentatum. Continet hæc Campanam majorem, quæ à puella 10. circiter annorum per quoddam ad id factum instrumentum, quod adhuc hodie intra tectum Templi asservatur, attracta fuit, licet campana 202. Centenarios, & 5. libras suo pondere contineat.

Secunda Ecclesia ad S. Michaëlem dicta, ante annos 400. circiter à pia quadam domina aedificata, ob specialem quo in S. Michaëlem ferebatur affectum, primò à Rudolpho III. & Ottone I. Alberti primi filii ad Chorum usque prolongata, & Parochiali jure donata fuit: addidit postea Chorum anno 1350. Albertus II. Ferdinandus II. eam R.R. PP. Clericis Regularibus S. Pauli, vulgo Barnabitis vi Juris Patronatus unà cum privilegiis omnibus & Jurisdictione Parochiali, quam ad annum usq; 1626. Presbyteri seculares administraverant, consignavit, uti Marmor, quo in signum gratitudinis hæc leguntur insculpta, in choro positum clarè exhibit.

Tertia est Ecclesia, & Monasterium insigne ad Scotenses dictum, ac ab Henrico I. quem etiam post mortem suo recepit gremio, 1150. in commodum peregrinantium in terram sanctam Scotorum aedificata, ac postea anno 1158. in Abbatiam, & Parochiam redacta.

Quarta Ecclesia Parochialia gaudens Jurisdictione à Passavensi quodam Episcopo anno 1154. aedificata est, & à gradibus B. V. nomen accepit, subjecta est hæc Dioecesi Passavensi, proprio gaudet districtu, & Episcopi Passavensis qui ibi residet, officiali.

Numerat autem Vieñensis Civitas præter Ecclesias prefatas adhuc alias quæplurimas, quas inter ob vetustatem, suam præ reliquis memorandæ videntur binæ. S. videlicet Ruperti, & Apostolorum Principis Petri in medio Urbis sita. Ella anno Christi 640. à Gudibaldo, & Cilarico

Presbyteris in honorem S. Ruperti extructa, omnium Viennensium prima habetur, & antiquissima, Lazius tamen l. 2. Chron. Vien. c. 2. ex Hist. vit. S. Severini binas alias, unam S. Joannis Baptiste, alteram SS. Martyrum Gervasii, & Protasii anno Christi 470. erectas fuisse memorat, locum tamen ubi steterint, aut quando defecerint, non recenset. Ista verò à Carolo Magno anno post Christum natum 882. erecta, prima Urbis hujus Parochia fuit denominata: digna utraque, ut in suæ vetustatis nobilitate conservetur ulterius.

Alias quod attinet Regularium Ecclesias, quæ plurimæ sunt, & florentissimæ, eum servabimus ordinem, ut in primis virorum, postea sacrorum Deo mulierum ordine Alphabetico brevissimo, quo poterimus, calamo mentionem faciamus.

S. Annæ nunc Templum & Domus probationis Tyronum Soc. Jesu in agnomine sibi platea ad latus Carinthiacæ situm, prius angustum Sacellum domui annexum erat, à Domina quæpiam anno 1320. in beneficium Peregrinorum aedificatum: habitarunt in ea primò Societatis PP. Viennam à Ferdinando I. Romanorum Regi vocati anno 1551. Postquam verò an. 1554. PP. Carmelitarum Monasterium, ubi nunc Domus Professa est, eisdem traditum fuit, Sacellum hoc, & domus in usum Equestris Ordinis S. Stephani cessit tam dū, donec 1626. pro commutatione Seminarii (erat hoc Domus illa, quam nunc Legati Pontificii incolunt) denuò in PP. Societatis potestatem traditum, & pro Novitiis probandis aptè aedificatum fuit, uti adhuc hodie videtur.

S. Augustini Ecclesia Ottonem nominis hujus primum, fundatorem agnoscit, qui illam anno 1339. inchoavit, adjunctum fuit postea à Friderico Pulchro Romanorum Imperatore Monasterium celebre, quod acciti ex loco quodam suburbano Prater dicto, ubi prius habita- verant, RR. PP. Ordinis S. Augustini Discalceati, secundum Ordinis sui consuetudinem aedificarunt, quia verò Templum hoc Aulæ ipsi est contiguum, in Templum Aulicum electum est.

RR. PP. Ord. S. Francisci Minor. Templum S. Crucis, & Conventum habent penes domum Provinciæ Statibus deputatam, his Fridericus II. Dux Austriæ anno 1224. Sacellum cum habitatione concessit, quibus Ottocarus Bohemia Rex pro majori aedificio fundamenta posuit, & Templum à S. Cruce nominare voluit, post mortem cor illius hic depositum quietit, & à Blanca Rudolphi III. Ducis Conjuge, ac Elisabetha Friderici III. Romanorum Regis Consorte opus totum est absolutum.

S. Dorotheæ Templum, & Canonia ab Alberto II. Austriæ Archiduce inchoata à Rudolpho IV. in honorem S. Dorotheæ anno 1360. absoluta fuit: Mansit 54. annis sub administratione Presbyterorum secularium tanguam privatum beneficium, donec vocatis ex Dürnstein RR. DD. Canonicis Regularibus S. Aug. & in debitam formam redigeretur, & in Cano-

niam formaretur, anno videlicet 1414. à R. D. Andrea Planck Parocho in Goës.

S. Francisci Templum & Monasterium à Matthia Rom. Imp. & Anna Conjuge ejusdem in ipsa Civitate ad novum forum, in quo post mortem eorum Corpora quiescerent, RR. PP. Capucinis est decretum, sed primo post utriusque obitum anno videlicet 1631. perfectum fuit. Asservatur hic Thesaurus ab eadem pientissima Domina Templo huic destinatus, & ob eximias Sanctorum reliquias verè pretiosus. Corpora Defunctorum an. 1633. à Monasterio Regio, ubi deposita erant, huc solenniter translata sunt, ubi etiam ad præsens tempus defuncta Archiducum Austriæ corpora sepeliri consueverunt.

Templum, & Monasterium RR. PP. Ord. S. Francisci ad S. Hieronymum dictum, à Domino Conrado Holzer, Urbis hujus Consule in commodum pœnitentium mulierum sub D. Hieronymi Patrocinio extructum fuit. Cum verò foeminarum istarum numerus indies decresceret, & ad unam omnes morerentur, Copia verò Patrum augeretur quotidie ita, ut Templum, & habitatio ad S. Rupertum, ubi priùs habitaverant, eos vix caperet, circa annum 1589. ad locum istum sunt translati.

Monasterium, & Templum ad S. Mariam Rotundam dictum RR. PP. ex Ordine S. Dominici, quod è regione Collegii situm est; primò à Leopoldo V. Austriæ Duce anno 1190. ut refert Lazius I. 2. Chron. Vien. c. 2. postquam ex Asia Victoriis, & spoliis hostibus ereptis clarus, & Richardi Regis Angliæ multa insigniter fuit ditatus sub auspicio, & favore Beatissimæ Virginis in usum Templariorum erectum fuit, quibus expulsis Leopoldus VIII. Archidux Austriæ PP. Prædicatoribus hujus Venerabilis Ordinis concessit anno 1325.

Beatissimæ Virginis, & SS. Ignatii & Xaverii Templum cum Collegio PP. Soc. Jesu Ferdinando II. gloriose memorie in acceptis referunt, qui illud ex speciali favore, quo minimam hanc Societatem semper est prosecutus, anno 1628. ædificavit: plura de hoc titulo *Universitas*.

Professa Domus PP. Societatis Jesu, & Templum, quod adhuc nomen ab antiqua Ducum Austriæ aulæ servat, priùs PP. Ord. de monte Carmelo Cœnobium erat, anno verò 1554. à Ferdinandō I. Romanorum Rege, ut supra dictum est illis benevolè consignatum est, unà cum quibusdam domibus, etiam illâ, quam nunc Apostolici Nuntii incolunt, in quibus præter Gymnasium tunc temporis erectum, Convictum, & Seminarium Studiosæ Juventutis idoneum habebant, donec ob copiam affluentium Discipulorum Ferdinandus II. Romanorum Imperator specialis Studiorum Fautor Collegium fundavit, Scholas ampliores ædificavit, & Universitatis corpori tanquam vera membra sociavit.

Templa, & Monasteria Deo sacrarum Virginum recenset sua inter mœnia Urbs nostra 7.

Templum, & Monasterium ad SS. Angelos vulgò Regium ab Elisabetha Caroli IX. Gallicarum Regis uxore circa annum 1583. (empta ob id à Carolo Antonio Archiduce Fratre suo Aulâ ex qua Monasterium illud construeretur) ædificatum est, & advocatis Monachio Ordinis S. Claræ Monialibus traditum, cum quibus & illa potissimum vitæ transegit partem, & anno 1592. relictis non mediocribus pietatis, & sanctitatis suæ argumentis ex vita discedens, sine pompa ulla, ut desideravit, ante summum altare sepulta est.

Alterum S. Claræ ad portam cœli dictum, anno 1267. à M. Gerhardo Parocho Viennensi in Usum sacrarum Virginum Ord. Præmonst. primitus fundatum, sed crescente numero personarum ab Agneta Austriæ Duce postea Andreæ Regis Hungariæ conjuge anno 1331. amplius à fundamento erectum, & debitibus provenitibus fuit instructum. Verum cum diuturnitate temporis, & malâ administratione deficeret, & Copia Monialium minueretur, residuae in Monasterium quoddam Regni Hungariæ missæ sunt, & ab Eminentissimo Cardinale Clefeli S. Augustini Canonissæ regulares per Bullam Pontificiam introductæ.

S. Jacobi Ecclesia, anno 1113. à Leopoldo V. Marchione S. Leopoldi Filio ædificari cæpta, qui ex occasione sculpæ cuiusdam imaginis S. Jacobi (videtur ea adhuc hodie ipso in Templo supra portam qua in Monasterium intratur) quod ad se, dum propè Viennam torrentem ambularet, ab aqua deferri adverterat, honori S. hujus Apostoli consecravit. Nondum tempellum hoc Urbis mœniis inclusum erat, nec in usum Deo sacrarum Virginum extructum, dum ex Carinthia veniunt piæ Matronæ, quæ zelo pietatis & religionis permotæ, Ecclesiam auxerunt, & Monasterium, in quo & ipsæ Deo viverent, adjecerunt. Cum verò de forma instituti Religiosi essent anxiæ, apparente illis in somno S. Augustino ejusdem regulas sunt secutæ. Proventus plures addiderunt Domini quidam nobiles ex Carinthia de Careit appellati.

Monasterium S. Josephi ad 7. libros ob dominum quandam, quæ in ædificiis usum coempta fuit, dictum, ab Eleonora Ferdinandi II. uxore fundatum est. Lapide fundamentali ab eadem an. 1633. 22. Octobr. in præsentia Augustissimi, & Archiducum posito. Incolunt Monasterium hoc Virgines religiosæ, Ord. Beatissimæ Virginis de Monte Carmelo, quarum biæ Genuæ, & ex Imperio à Conventu Interamensi sunt advocatæ. Locupletavit inter reliqua Templum hoc proprio suo corpore Augustissima, quod infra summanni Aram sepeliri desideravit.

Ad S. Laurentium Templum est, & Canonia nunc sacrarum Virginum sub Regula S. Augustini viventium: Ecclesia hæc ab Ottoni I. Miribili dicto, & Friderico III. duorum Austriæ Ducum suam dicit originem, hi illam anno 1337. ædificârunt, & Monialibus quibusdam assignârunt. A quibus, ubi defunctæ sunt ne,

ne vacuus locus relinquatur, advocatae, & loco Urbi vicino Præter dicto, ubi parvam habebant Ecclesiam, Canonissæ Reg. Ord. S. Aug. successerunt, habent eæ adhuc hodie fundum aliquem in præfato loco positum.

Eiusdem Ordinis piæ Virgines degunt in Monasterio S. Nicolai. Erat tempellum hoc, & habitatio annexa, priùs ante Urbis mœnia in usum puerorum, qui sine legitimo patre nascerentur, ædificatum, dein à PP. Ordinis S. Francisci strictioris observantiae inhabitatum, postquam verò hi in Monasterium S. Hieronymi suère introducti, à Ferd. II. suauo Annæ Eleonoræ Conjugis ejusdem Sanctimoniales Ord. S. Clariæ Posonio advocatæ, illud obtinuerunt, quæ anno 1651. ædificium majus sibi exstruxerunt.

In D. Joannis platea septimum est Monasterium Religiosarum Virginum S. Ursulae, quas Eleonora Ferd. III. tertia Consors Lutetii accepserunt, quæ coëmptis aliquot domibus Anno 1675. Templum & Monasterium in honorem suæ Patronæ, à qua nomen acceperant, erexerunt.

Præter dictas sunt Ecclesiæ adhuc aliæ multæ per Urbem dispersæ, quarum aliæ separatae, aliæ domibus aliis sunt annexæ, quas ad titulum istum referre, & ne nimium in longum excurrat, brevi perstringere calamo placuit.

Hospitale Civicum à Leopoldo VII. anno 1230. ante portam Carinthiacam in honorem S. Spiritus priùs ædificatum, anno verò 1529. à Solymanno Turcarum Imperatore Viennam obidente dirutum fuit, unde 1530. à Magistratu civico, consentiente Ferd. I. Rom. Imperatore Sanctimonialium desertum Monasterium ad S. Claram, quod adhuc in hodiernum diem incolunt, in quo etiam Orphani, & derelicti à parentibus pueri sustentantur, & instruuntur, eis concessum fuit. Aluntur hoc ex loco (ut dicunt) personæ ferè 3000. estque non tam ad sustentationem pauperum quam splendorem sumptuosis proventibus, & bonis ditatum. Est & aliud Hospitale Cæsareum dictum, penes dominum Provincialem Austræ inferioris Statibus deputatam, ubi & sacellum proprium habent.

S. Joannis Baptiste in platea Carinthiaca Equitum Melitenium à S. Severino ante annos circiter octingentos exstructum dicitur, quod tamen vix cohæret, cum Lazio Teste S. Severinus jam anno 481. 8. Jan. mortuus fuerit. Credibilis igitur est Severinum, ut idem Lazius lib. 2. cap. 2. ex vita S. Severini ostendit, jam anno 470. illud ædificasse, adeoque primum omnium Viennensis Urbis hoc esse Tempellum.

In Cæmeterio S. Stephani duo magna periuntur Templa, unum S. Mariæ Magdalenaæ dedicatum, de cuius origine, & fundatore non reperi, alterum S. Catharinæ anno 1214. à Menegaldo Passavensium Episcopo, uti pictura quædam in ipso Sacello extans probat, ædificatum.

Privata Sacella numerantur permulta. In Aula Cæsarea, Regia, & Archiducali tria diver-

sa pro aulæ cuiusque commoditate, & magnificientia instructa.

Sancti Andreæ in Aula Episcopali.

S. Barbaræ in Cæsareo Soc. Jesu Convictorum Collegio, quod anno 1652. de novo exstructum, & auctum fuit.

In platea Breineriana aliud S. Barbaræ à Domino Haffner Celsi Regiminis Cancellario ædificatum.

S. Bernardi in Aula S. Crucis.

SS. Trinitatis in aula Laziana à Ducibus Austræ, & divite Viennensi Civie Zinck nomine fundatum.

S. Elisabethæ in domo Equitum Ord. Teutonicæ à S. Severino exstructum.

S. Georgii in aula Freysingeriana.

Ad Aureum Cervum penes rubram Turrim Beatissimæ Virginis anno 1650. à Domino Octaviano Lumago interioris Senatus civici senatore ædificatum.

D. Ivonis in platea Scholastica facultati Juridicæ deputatum.

In domo Principis de Liechtenstein.

S. Nicolai in aula Seizeriana.

SS. Petri & Pauli in auro Monte, qua in domo fundatio est studiosorum Pauperum, ex omnibus classibus collectorum, olim erecta, cujus cura Doctori Medicinæ cuiquam est demandata.

SS. Philippi & Jacobi in aula Colonensi sumptibus hujatis Civis à cognomine Gundlacher exstructo.

Ad Curiam Sacellum reperitur ab Otthono de Neuburg Nobili Equite primùm in honorem Magnæ Matris anno 1282. erectum, deinde sub titulo Salvatoris, quod nomen adhuc retinet, benedictum, & ab eodem post obitum suum Magistratui Civico unà cum domo, quæ tum temporis una ex splendidissimis erat, per testamentum legatum.

Non procul à domo Professa Soc. Jesu, domus est ab aureo serpente nuncupata, hic sacellum erectum est B. Stanislai Kostkæ Soc. Jesu in illo Cubiculo, in quo, dum adhuc Juvenis degeret, in gravi infirmitate à Beatissima Virgine divinum Pusionem in brachiis gestante, S. Barbaræ Virgine morientium Patronæ visitatus est, & ab Angelicis manibus SS. Eucharistiaæ Sacramentum recepit, uti in vita ejusdem legitur, in cuius venerationem indultum est quot annis 13. Novembris, quem in diem festum illius translatum est, cuivis inibi Sacra celebrare, quæ etiam magna in copia dicuntur.

In aula quadam vulgo Gundlhoff S. Thomæ exstat sacratum Sacellum.

In platea Preineriana sita domus Comitum de Trautson Sacellum habet raris, & selectis SS. reliquiis pretiosum, uti pluribus tit. Ganzophylacium.

A regione Portæ Cæli in domo Justitiæ (Ambthaus) pro reis, & judicis sententiæ extremo supplicio afficiendis.

S. Martini ad novam Portam in Stockhaus.

Ædificatum est etiam ante annos aliquot Sacellum parvum in armamentario Cæsareo non procul à Porta Stubensi , necdum tamen benedictum.

Et hæc sunt Templa , & Sacella magis obvia , aliisque nota , plura reperies , quæ in privatis Dominorum ædibus pro cuiusvis pietate , & laudabili religione sunt exculta , quæ licet non mediocriter Viennensis Urbis augerent gloriam , ne nimium prolixii simus , omittimus ad alia Viennæ decora progressuri .

## § II.

**T**itulum hunc duas in partes dividimus , ne lectori longitudine molestiam cieamus , recensuimus brevissimo quantum potuimus calamo Templorum ædificia , & memoravimus potius , quæ descriplimus : restat ut Laconice quæ in tituli fronte promissimus spectatu digna , quot quot reperire nobis fas fuit , percurramus . Et ut denuò à Principe S. Stephani Templo sumamus initium , plurimas ibi antiquitates , quin tot memorabilia , quot antiqua monumenta , reperies .

A summa Templi Ara incipimus , quæ ex albo , & nigro Polono marmore artificiose elaborata , anno 1640. incepta 1647. absoluta 25497. florenorum impendio est erecta , continet ingentem ex stanno laminam pretio 522. & dimidii florenorum fusam , supra quam artifice penicillo S. Stephanus Proto-Martyr est depictus , solutis ob id 1218. floren. & quotidiano tempore laboris victu , aliisque decente honorario . Tabernaculum ( ut vocant lapide pretioso excisum , ac Palermo adductum ) 7765. floren. solutum dicitur , quæ omnia Cœlissimi Principis , & Ecclesiæ hujus tum temporis Episcopi Philippi Friderici e Comitibus de Breuner munificentia adscribuntur .

In ipso Templi pavimento duo ex rubro marmore albo distincti , quadrati reperiuntur lapides , intra quos Crypta Rudolphi IV. & successorum ex Domo Austriaca , ad quam per gradus aliquot descenditur , videri potest : jacent hic Rudolphus in medio , Albertus III. cum trica ad lævam , Georgius , Albertus IV. patiens , & Wilhelmus Archiduces omnes pelle bovina contecti : suis verò cistis separati Leopoldus Superbus dictus : Albertus VI. prodigus nuncupatus , & Archiduces Maximiliani II. Rom. Imp. filii . Ab obitu verò Ferd. IV. ad Cryptam hanc sola intestina defunctorum ex Austriacis cuprea in Cista addito eorum nomine imponuntur .

Ad Altaris majoris Beatissimæ Virginis cornu Epistolare Mausoleum Alberti , quod filio suo Friderico IV. qui 15. ætatis , Christi verò 1361. anno vivis excessit , splendidum , & sumptuosum videtur .

Hoc tamen Majestate suâ , & splendore multùm superatur ab illo , in quod Fridericus Rom. Imp. qui id pro se erigi mandavit , positus est : videri potest prope altare majus Cœnæ Do-

mini , pretium ejusdem ut fertur 40000. aureorum excedit .

Plura monumenta à sumptibus , & antiquitate celebria in omnibus passim parietis , & angulorum partibus curiosus indagator reperiet .

Intra Templi portam dextrorsum , per quam ad ædificiū domum via dicit , albus lapis , quem inter , & murum plurimæ sunt SS. venerandæ reliquæ , hæc insculpta charactere vetusto refert verba : *Hic est lapis super quem effusus est sanguis ex serratione tibiarum S. Colomanni Martyris , quem hoc collocauit Illustris Dominus Rudolphus IV. Dux Austriae .*

Lapidea in Cœmeterio Cathedra , ex qua S. Capistranus Ord. S. Franc. ad populum circa annum 1452. sèpiùs latino idiomate verba fecit , ita tamen , ut etiam ab ignariorum latínæ linguis raro prodigo intelligeretur , etiam hodie exstat .

Sunt & alia tum intra , tum extra Templi septa quæ plurima , quæ brevitati consulentes omittimus , ea enim Eruditionis , aut antiquitatis amans facile reperiet .

Nec silentio prætereunda sunt quæ in Templo R.R. PP. Minorum S. Francisci habentur . Pendet hic crucifixi Salvatoris super pannum rubrum imago pretiosissimi Christi Domini reliquiæ locuples , continent enim S. Crucis , lanceæ , coronæ spineæ particulas , uti & portionem quandam de virga prodigiosa Aaronis : ascenderat Crux hæc , unde , aut quo ex loco ignoratur , adverso Danubio , & domui ad aureum agnellum dictæ , sponte suâ ita firmiter adhæsit , ut à nemine avelli potuerit , quoadusque toto à Clero solenniter ad S. Stephani Ecclesiam fuerit deportata , sed & hinc virtute invisibili , atque ad eum , quo nunc pendet locum translatâ fuit .

Non minùs prodigiosum est foramen illud , seu hiatus ad finem ambitus , quem à cruce vocant , per quæ Infernalis spiritus 7. die unâ consecratas hostias per contemptum irreverenter sumentem excepto priùs ab indigno corpore ( statim enim vitâ functus est ) pane angelico , præsente ædito abripuit , & usque hodie aperatum reliquit .

Liberalitate Excellentissimæ Com. Margaretha de Stratman impendio aliquot millium florenorum sacri gradus , uti Romæ habentur Sanctorum reliquiæ pretiosi , per quos ob reverentiam solùm de genibus homines ascendunt , comparati , ac Templo huic donati sunt .

Altare S. Michaëlis anno 1698. à quadam Matrona sumptibus aliquot millium Rhenenium exstructum .

In templo aulico R.R. PP. Ord. S. Augustini primas obtinet sacellum Lauretanum ipso in templo ad normam verae Lauretanæ Domus exstructum , & crateribus , ac lampadibus argenteis locuples , quod devotionis causa in Divam Virginem ingens quotidie hominum copia invicit .

Neque

Neque caret laude sua mortuorum facelum, quod à dextris Templi computando ab introitu se objicit, semper quidem, maximè tamen die Commemorationis fidelium defunctorum, lampadibus, & luminaribus splendidum.

Erigitur etiam quot annis in Quadragesima, & centenis aliquot Candelis, & Lampadibus auguste exornatur ara major tribus ultimis quadragesimæ sabbathis, ob magnificentiam suam splendor visu dignissimus, cui etiam nullatenus cedunt digna Cæsare monumenta, Castra doloris vulgo nuncupata, quæ in medio templi hujus, quoties ex Domo Austriaca aliquis vitâ defungitur, cum artificiosis Epitaphiis, Symbolis, Inscriptionibus, & argentaria per Gyrum disposita ingentibus expensis eriguntur.

Solent etiam ad Cryptam specialem depositi defunctorum ex hac Austriaca Domo, corda, quæ argenteis inclusa vasculis à Mytratis capitibus ad locum destinatum deportantur.

Plura, & in his, & in aliis per Urbem, & extra eandem dispositis templis, & facellis Honoris Viennensis argumenta reperiuntur, quæ, ne terminum nostrum libelli excedamus, & in volumen justum excurramus, prætermittenda censuimus, breviter solùm Monasteria, & Tempa in Suburbiis, quæ ad Viennensem pertinent gloriā, cum eorundem quotquot accepimus Fundatoribus, enarraturi.

Et ut à Leopoldina initium sumamus, habet hæc Parochiale propriam Ecclesiam, quæ ab Augustissimo Imperatore Leopoldo I. anno 1670. in honorem S. Leopoldi eversa hinc Judaicæ perfidiæ & Synagogæ, quam hoc in loco sibi exstruxerant, melius ædificata fuit, habet Ecclesia hæc coemeterium suum pro mortuis, Parochum cum binis Sacellanis, qui rem divinam peragant.

Monasteria quoque hoc in Suburbio reperiuntur bina, unum RR. PP. B. V. de Monte Carmelo Discalceatorum, à Ferd. II. piæ Memoriæ Rom. Imperat. ob recuperatam ope cujusdam Religiosi Viri Ordinis ejusdem anno 1620. ad Pragam in albo Monte de Comite Palatino Friderico Victoriam, erectum.

Alterum FF. Misericordiæ ex ordine B. Joannis Dei, quorum templum, & Monasterium in honorem S. Joannis Baptiste sacramum à Matthia Rom. Imp. primo ædificatum, postquam autem anno 1652. in cineres ab incendio redactum fuit, à Ferdinandῳ III. Gloriosæ memorie Imperatore Religiosi hi subsidiis pecuniariis ad reparandum ædificium sunt adjuti; ut tamen opus surgeret splendidius, insistens Ferdinandi vestigiis Augustissimus Imperator Leopoldus, spatiū iis pro Monasterio non solùm auxit, sed insuper pretiosis reliquiis, Brachio videlicet B. Joannis de Deo sibi ex Hispania submissō, locupletavit.

Suburbium alterum Rossovia dictum— unum numerat RR. PP. Servorum B. V. Templum, & Coenobium, quod anno 1639. (hoc enim tempore Patres isti Viennam venerant) ligneis adhuc trabibus compactum Sacellum

erat, donec ab Octavio Piccolomini Amalphitan Duce anno 1651. festo S. Martini die praesente Ferdinando III. & Eleonora Rom. Imperatrice, nec non Ferd. IV. & Leopoldo nunc regnante Augustissimo Imperatore primus fundamentalis lapis positus, & tam ab eodem, quam Reverendissimo D. Elia Scheller, nec non Civis quodam Viennensi, cui Joanni Thurri nomen, ædificatum, & cursu temporis ad eam, quæ nunc gaudet elegantiam est evectum.

In platea picarum dicta venusta visitur Fabrica RR. PP. SS. Trinitatis de Redemptione Captivorum Templum, & Monasterium, quod ex angusto quopiam facello contribuente ad id Augustissimo Imperatore Leopoldo spatio ample, & domo quapiam anno 1695. quo die ipsa Sacra Cæsarea Majestas primum pro tanto operi terræ mandavit lapidem in Augustam molem exsurgere cœpit.

Ante plateam hanc Templum, & Monasterium est RR. PP. Ord. S. Benedicti de Refor. quod anno 1633. à felicis recordationis Ferdinandō II. Rom. Imp. in honorem Magnæ Matris de Monte serrato ædificatum fuit, quia tamen obsidionis Viennensis tempore deletum est, nunc denuo exbusto suo erigi cœptum est.

Ad S. Udalricum præter Ecclesiam Parochiale, RR. PP. Ord. S. Francisci strictioris observantiae Templum cum Cœnobio se videntem objicit: Hoc anno 1600. (eo videlicet anno quo Viennam advenerant) à quopiam Domino Barone de Molar fundatum, & ædificatum est. Hi Patres deinde ipsam in Urbem admissi, & Templo, ac Monasterio eleganti sunt instructi.

In Suburbiis Josephinis RR. PP. Piarum Scholarum Templum, & Collegium possident, hoc anno 1698. 2. Septembris ex fundamento erigi cœptum, & ab Augustissima manu fundamentali lapide decoratum.

In fossa Argillacea (Laimgrueben) Templum est, & residentia ut vocant RR. PP. Clericorum Regularium S. Pauli, quos vulgo Barnabitæ appellant: Templum hoc à Beatissima Auxiliatrice Virgine nomen accepit, quod quidem antea angustum, nunc verò multorum liberalitate, & specialiter Celsissimi Principis Pauli Esterhazy Hungariæ Palatini, qui summam Templi aram sumptibus multis construi fecit, ampliatum, & ornatum: exercentur in Templo hoc Parochialia munia, unde & Cœmeterium proprium habent adnexum.

In eodem Suburbio celebre est Monasterium, S. Josephi RR. PP. B. V. de monte Carmelo Calceatorum. His anno 1360. Rudolphus IV. Austriæ Dux Aulam propriam consignavit, Templum, & Monasterium exstruxit, quod etiam ducentis & octo annis incoluerant, verum ubi ob grassantes hæreses, aliasque temporum vicissitudines Monasterium desertum jaceret, id Ferdinandus I. gloriosæ memorie anno 1568. Patribus Societatis Jesu tradidit. Elapsis centum & septem annis Viennam deinde reduces anno videlicet 1661. domos quadam

dām coēmerunt, & Monasterium hoc, cum Templo ad quod primum Augustus Romanorum Rex Josephus I. lapidem contulit, ædificārunt.

In Widen R.R.PP. Ord. Minorum D. Francisci de Paula Templum cum Monasterio elegante retinent, hi à Friderico Rom. Imp. in Germaniam vocati, & in Superiore Austria in varia Cœnobia primū divisi sunt, verū ubi ingruente hæresi Monasteria eorum diruerentur, & centenī propè eorundem Patrum occiderentur, iis anno 1624. à Ferdinando II. Rom. Imp. hoc in loco Monasterium ædificandi concessa potestas fuit, ad quod magnum subsidium contulit ipse Augustissimus ille Imperator, qui etiam anno 1630. fundamentalem lapidem terræ mandavit.

In Via Regia R.R. PP. ex Ord. D. Augustini Eremitarum pretiosum Templum est, & Monasterium, quod anno 1642. à Ferdinando III. in honorem SS. Sebastiani & Rochi ædificari cœptum est. Templum hoc anno 1656. in cineris redactum longè splendidius post ultimam Viennensem obsidionem est erectum.

Claudit Templorum suburbanorum agmen tempellum quoddam minus, quod in Aluatiorum platea extra Stubensem anno 1673. in honorem S. Margarethæ à loci illius communicate est erectum. Hæc solidæ sunt pietatis Monumenta, quibus Urbs nostra quasi in monte, & super Candelabrum posita lucet omnibus, impiis quidem ad invidiam, probis ad ædificationem; Orbi in gloriam Universo; Hæc inquam sunt Austriacæ Domus, & ipsius Urbis nostræ fulcræ, & Columnæ, quibus suffulta videntur tam firmiter, ut nullo contrario impetu, nullis ventorum turbinibus, nullis terrarum quantumvis tremendis concussionibus loco moveri, aut vel minimam gloriae suæ jacturam amittere possint, aut posse videantur. Hæc tandem sunt permansuræ felicitatis certissima argumenta, quibus deinceps in futura tempora magis, ac magis felicitate floreat, eoque suum protendat Imperium Austria, ut de illa, quod saepius vaticino fuit prolatum spiritu, certò prædicti queat: *Austria erit in orbe ultima.*

## TITULUS IV.

### *Magnifica Palatia, Diversoria publica, & Apothecæ.*

**N**on vanè scriptores extollunt Romanum veterem, eāmque à suis tam splendore, quām magnificentiā insignibus laudant ædificiis, tot Cæsarum jactant amphitheatra, tor auro, cedroque laqueata commendant palatia, ut vel ex iis Romanum Urbium fuisse Principem non immeritò fatearis, nequie nos Urbi illi, quem habuit, & etiamnum possidet splendorem. invidemus, neque nostram præferre illi mens est, illud tamen non sine veritate profitemur Viennam decore suo, & ædificiorum mole, ac venustate nobilissimis etiam orbis civitatibus posse comparari: tot enim in ea superbæ sumptibus moles, tot vasta & immensis opibus exstructa atria, tot propè quot domus, palatia numerantur, ut inter venustissimas, & populosissimas Urbes non unius Europæ, sed Orbis propriodem universi referatur; Et quamvis pro incolarum copia, quos ultra 60000. complebitur, paucæ fortassis videri domus possint. (nam non nisi mille ducentas triginta & tres, ex quibus Civicae 930. Liberæ 248. Monasteria 18. Templa 29. Sacella non annexa 8.) continent, tantæ tamen sunt magnitudinis, ut plures etiam familiae eandem incolere commodè valeant, & inhabitare. Nam quot spectantur ædes vastissimæ, quas aulas nominant, quot diversoria, quot ingentia Principum, & Dominorum Palatia, quorum singula suo in districtu minores aliorum locorum civitates aut æquare, aut superare posse videantur: finem dictioni non facerem, si recenserem singulas, possem autem omnes, eaque secundum meritum suum dilau-

darem, unde ut brevirati & consuetæ scribendi rationi morem geram, alias, eaque paucissimas, quæ cæteris aut mole, aut pulchritudine, aut magnificentiā anteferri possint, placuit enumerare.

Et ut ab Augustissimarum Majestatum Regia initium faciamus, sita est hæc ad portam ab Aula dictam, solem Occidentalem versus; speciali fons, propugnaculis, & custodia defensa, opus & magnitudine & venustate insigne, tres in se continens distinctas Aulas, quarum unam Augustissimus Imperator, Augustus alteram, tertiam Serenissimus Archidux, cum numerosa Ministrorum suorum manu incolit, ædificium formâ quadratâ erectum, amplum includit atrium, quatuor portis, tam pompæ, quām si necessitas cogeret, militum aliquot millibus opportunum, contignationes in altum numerat ternas, quarum medias occupant coronati vertices, reliquæ illis in usum, qui ab obsequiis pendunt Principum, reservantur.

### *Quorundam Dominorum Palatia Ordine Alphabetico.*

**P**ræter prefatam Regiam alia reperiuntur Principum, & Dominorum domicilia opere suo & arte celeberrima, de quorum numero delibare potius, aut recensere aliqua, quām describere fusiùs brevitiati studentes statuimus, neque illis ista præferre, aut hæc præ aliis negligere nobis mens fuit, sed quemadmodum vel suspe-